

**Benon des Chasnes, Vincent -
candidat / Dejean, Claude-Charles -
président. - An imaginatio ut plures
praeter naturam affectus gignere, sic
plures praeter naturam affectus
sanare potest ?**

1789.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°178***



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimâ
mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXXXIX.*

M^o. CLAUDIO-CAROLO DEJEAN, Doctore Medico Præside.

*An Imaginatio ut plures præter naturam affectus gignere, sic plures præter naturam
affectus sanare potest?*

I.

BRUTA animalia * quidam mera esse Automata volunt, quæ omnes moriæ, sensus, atque appetitus functiones, absque ullâ prorsus cognitione peragant: alii de brutis animalibus magis gratiose existimantes, ipsis concedunt sentientem animam, quæ constet ex atomis igneis, sive ex subtilioribus sanguinis partibus, quæ sit corpori coextensa, cum ipso nascatur, cum ipso intereat, quæque tribus sensibus internis, sensui communi, imaginationi, & memoriæ ad putum imperet. Anima rationalis, animæ sentientis, & corporeæ nil indiga, per seipsam in homine hujus functiones sufficienter obit, hæc licet simplicissima, variis tamen pro functionum varietate distinguitur nominibus; dicitur, judicium, ratiocinatio, sensus communis, imaginatio, memoria; judicium, cum exploratâ dili-

* Cartesius.
Digbeus An-
glus.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

3
 genter rerum naturâ, de iis rectè judicat, bonum à malo, verum à falso accuratè discernit; ratiocinatio, cum stabilitis duabus propositionibus, tertiam elicit, quæ sit conclusio; sic exempli gratiâ, posito quod ii qui artem exercent abstrusam & difficilem sint veniâ digni, si nonnunquam erraverint; posito quod Medici artem exerceant abstrusam & difficilem, concluditur Medicos esse veniâ dignos, si quando erraverint; dicitur anima sensus communis, cum objectorum species per sensus externos allatas, à se invicem distinguit, odores à coloribus, colores à sonis, &c. Vocatur imaginatio, dum res sibi repræsentat aliter quàm à sensibus externis oblata sunt, aut aliquid comminiscitur quod ad propositum finem assequendum sit utile; memoria denique, cum rerum præteritarum reliquias in cerebro idæas, ac veluti sopitas exfuscitat, & earum reminiscitur.

I I

CUM omnia in humano factu ad animæ receptionem sunt aptè disposita, animalia rationalis à Deo intuditur, sed nuda & omnis expers artis & scientiæ: errabant itaque Platonici qui cum animadverterent quosdam homines in artibus & scientiis brevi tempore mirabiliter proficientes, putabant ipsos non tam acquirere nova quam eorum reminisci quæ in animis fuissent, ante suam in corpus ingressione: sed quamquam omnis anima rationalis sit ejusdem similisque naturæ & conditionis, pro variis tamen cerebri dispositionibus, varias & plurimis perfectionis gradibus discrepantes functiones edit. Equidem in omni homine prima objecti comprehensio est æqualis, idiota quippè quod ante oculos versatur æque percipit ac Philosophorum præstantior, & sic de cæteris sensibus; in judicio, imaginatione & memoriâ res multo aliter se habet: quidam judicio cæteris antecellunt, quidam imaginatione, quidam memoriâ; pauci quos propitia natura amavit, in tribus istis functionibus simul excellunt. Qui admirabili judicio pollent constituendis legibus, juriis unicuique reddendis, & subtilioribus politicæ artibus instructi, administrandis Regnis sunt aptissimi; qui acri & vividâ imaginatione præstant, sunt ad picturam, poesim, musicam, mechanicam habiles & idonei, quin & ad praxim medicam, cum, ut putat Joannes Huartus*, imaginatio remedia excogitare tempore opportuno adhibere & quod in rebus medicis est summi momenti occasione uti sciat, quam, cum ex Hippocrate* præceps sit, semel elapsam recuperare vix videtur: quidam ingenti memoriâ præditi sunt, & dum judicium abest importunâ garrulitate singulis obstrepunt, fiuntque tædiofi.

* Libro de
 Scrutinio ani-
 mor.

* Libr. A-
 phorif. 1. A-
 phor. 1.

I I I.

CUM ad bene imaginandum, organorum Cerebri aptæ sunt dispositiones, anima res imaginatur quales sunt; aut si voluptatis gratiâ (magnæ sunt enim lenocinantis imaginationis illecebræ) res imaginetur abionas, à ratione alienas, extraordinarias, atque etiam impossibiles, iis sanè delectabitur at saltem fictitias esse certò cognoscet, nec iis vanè deludetur; ast cum imaginationis organa depravata sunt, anima non solum imaginatur res ridiculas, incongruas, & rationi refragantes, sed iis acquiescit, & tanquam veras sibi representat; hinc fit ut hic vereatur ne cælum ruat; ille in brutum animal se conversum putet; alius viam affectet olympo, & cum Deo & Angelis familiariter colloquatur; alius se regem esse aut principem existimet; hic ex butyro conflatum esse corpus suum reatur, nec audeat, ne colliquefeat, ad ignem accedere; ille se vitreum esse opinetur, & durioris cujusque corporis occursum timeat; alius dubitet mingere, ne totum

orbem submergat, centum ora, centum linguae non possent tot deliriorum species sigillatim recensere: tanta autem deliriorum varietas ut plurimum pendet à temperamento, ab animi pathematis & vitae conditione; à temperamento, biliosi enim delirant ignes, incendia, pugnas; sanguinei res ludicras, convivia, hilaritatem; melancholici res horrendas, inferos, daemonia, supplicia, cruces; ab animi Pathematis, aliter enim delirant avari, aliter amantes, aliter ambitiosi; à vitae conditione, qualis enim fuerit vitae conditio & status, talis frequenter se representat deliratio, & saepe contingit, idque miratione dignissimum, ut infantes isti in uno objecto delirent, in cæteris oppositè ratiocinentur: sed quod valde probat depravatam imaginationem esse tot præter naturam affectuum efficientem causam, plerique delirantes, absque ullo remediorum subsidio, solâ imaginationis per fictionem sanatione, ad bonam mentem feliciter reducti sunt: quidam putat sibi non esse caput, ejus capiti impositus est pileus plumbeus, ex cuius pondere cognovit se caput habere; alius animo fixerat se habere cornua, cuius capiti applicata sunt cornua, quibus abscissis, statim convaluit; cujusdam erat opinio sibi nasum esse longissimum, sed frustulum carnis naribus appositum, & rescissum, ipsum sanitati restituit; putabat alius ventrem suum esse serpentibus refertum, serpentes in ejus excrementa injecti sunt, quibus conspectis tali delirio solutus est.

I V.

QUOT insuper præter naturam affectus gignit, sive ab internis, sive ab externis causis læsa, turbata, depravata imaginatio? Ponamus ab aliquo obsonium, quod sit ejus palato gratissimum comedi: is si forte in eo pilum, aut immundum quidpiam reperiatur, illico turbatur imaginatio, ventriculus subvertitur, & antiperistaltico motu percitus, sumptum obsonium protinus vomitu rejicit. Spiritus animales inter dormiendum, à sensuum exteriorum functionibus vacantes, licet quodammodo ferientur, tamen quoniam in motu consistit eorum natura, adhuc moventur, agitantur, & idæas exsuscitant ab objectis externis in memoriâ relictas; hæ nonnunquam tam horrenda offerunt imaginationi somnia, ut iis agitata atque afferata motus spasmodicos pariat, & ii qui talia experiuntur somnia subito evigilent cum cordis palpitatione & summâ totius corporis agitatione. In affectibus quibusdam animi gravibus, ut irâ & metu, imaginatio spiritibus in quos imperium habet, inordinatum nimis impetuosumque motum impertiens, potest motus epilepticos parere; narrat * Gabelchoverus historiam cujusdam Juvenis, qui ex irâ in Epileptiam incidebat *; narrat Willisus historiam Virginis quæ ex terrore pestis, spasmis fuerat agitata. Reperti sunt qui viso epileptico, statim Epileptici facti sunt.

V.

SI plures, ut probavimus, præter naturam affectus gignere potest imaginatio, plures etiam præter naturam affectus potest sanare: omnes ferè morbi ab obstructione ducunt originem; obstructio membranarum cerebri & nervorum gignit delirium, phrenitidem, paralyfim, cœcitatem, surditatem; obstructio tenuissimorum sanguinis canalium, affert partium tumorem, inflammationem, doloris sensum, valorum disruptionem, hæmorrhagiam, sanguinis stagnationes, putredinem, abscessus, ulcera; obstructio vasorum lymphaticorum parit strumas, bronchocelen, tophos, tubercula, tumores œdematosos, hydropem; obstructio jecoris gignit alvi pigritiem, isterum, febres ardentes, eresipelata; obstructio pulmonum spirandi difficultatem, astmata, &c. Ad tollendas obstructiones,

* Centuriâ
4^a curat. 23.
* Lib. de
morb. convuls.
ch. 9.

4

spiritus animales sunt potentissimi; dici vix potest quanta sit eorum virtus, quanta efficientia: id videre est in iratis, quorum vires sunt maximae in phrenitide, mania, furore uterino, in quibus aegrotantes vix à pluribus contineri possunt: at ii quantumvis potentes & actiuosi, ad agendum impelli debent; id praestat anima, quae summum habet in spiritus imperium, ipsosque ad libitum regit ac dirigit; sed ad impellendos ipsos, nec iudicio, nec ratiocinatione, nec sensu communi, nec memoriâ, utpote languidis facultatibus utetur, solam imaginationem, ut actuosissimam adhibebit: anima itaque summâ recuperandae sanitatis cupiditate excita & viribus imaginationis facta valentior, poterit per spiritus impetuosè propulsos, obstructionem morbi causam tollere, idque sola, sibi suisque viribus relicta, & absque ullo prorsus externo praesidio: quod si quis quaerat quomodo anima novisse possit obstructionem esse morbi causam, cum functionibus spiritalibus unice attenta naturalis oeconomiae ignara sit; is tale responsum habeat, homini quemadmodum ceteris animalibus concessum à Deo naturalem instinctum, qui conservando homini addictus, & levandis ejus morbis invigilans, possit animae, imaginationisque conatum roborare, & spiritus ab iis impulsos ad obstructionis sedem rectò deducere.

Ergò ut Imaginatio plures praeter naturam affectus gignere; sic plures praeter naturam affectus sanare potest.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Joannes-Jacobus PAULET,</i> <i>physiologiae an. 1787-88 & pathologiae Prof.</i>	<i>M. Antonius-Laurentius DE JUSSIEU.</i>	<i>M. Guillelmus FUMÉE.</i>
<i>M. Claudius-Antonius CAILLE.</i>	<i>M. Joannes-Jacobus NOLLAN,</i> <i>Rei Herbariae an. 1780-81,</i> <i>Chirurgiae lat. id. an. 1785-86</i> <i>Professor.</i>	<i>M. Marinus-Jacobus-Clarus ROBERT.</i>
<i>M. Philippus-Alexander BACHER.</i>	<i>M. Benjaminus-Michael SOLIER</i> <i>DE LA ROMILLAIS, Rei</i> <i>Obstetriciae an. 1776-78, Physiologiae & Pathologiae an.</i> <i>1781-83, U. Pharmaciae an.</i> <i>1786-87 Prof.</i>	<i>M. Maximilianus-Josephus LEYS, Chirurgiae lat. id. an.</i> <i>1764-65, ierensis an. 1783-84</i> <i>Rei Herbariae an. 1772-76</i> <i>Prof.</i>

Proponebat Parisiis, VINCENTIUS BENON DES CHASNES, Matisconensis,
Saluberrimae Facultatis Medicinae Parisiensis
Baccalaureus.

A. R. S. H, 1789. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAV, Saluberrimae Facultatis Medicinae Typographi. 1789.

